

ADDENDA.

Cum in laborioso illo Siphonis recurvi grandioris experimento, quod in Tentam. V. Partis hujus II. num. VIII. & seqq. fusè descripsimus, anno superiore, quo id primùm tentaveramus, defectûs aliqui nostris laboribus intercesserint, qui tametsi scopo primario ei que, quod rei caput est, obesse nihil poterant, facilè tamen uni aut alteri Lectorum nostrorum injicere scrupulum possent; non piguit, occasione præsertim tam comòdâ in Collegio Curioso sub anni hujus 1684. finem iterum adaperto, se offerente, eosdem labores iteratò subire & siphonem recurvum grandiore ex vitreis fistulis pluribus conglutinare. Placebat inverso nunc ordine rem eandem peragere & siphonem humiliorem B H C priùs exstruere, ne, si per sublationem partium superiorum K A L (uti vice primâ factum erat) humilior hic confieret, ex concussione fortè quadam partium inferiorum luxatio quædam contingeret, ob ceræ interea multùm indurata tenacitatem. Successit etiam ex voto res omnis, ita ut, posteaquam utrumque crus per aperturam flexuræ in H replevissemus aquâ croco tinctâ ad summum usque, eandem que aperturam cerâ & vesicâ suillâ probè occlusissemus, tandemq; epistomia B ac C reclusissemus, subtractis penitus claviculis, aquâ croco tinctam per crus B K paulatim ad superiora recedere ac limpidam ex vase B manifesto succedere, & cum hac paleas quoque & festucas vasi inter laborandum illapsas e-vehi, distinctissimè cerneremus, decremента

li 3

insimul




Fig. 20